

10

IMPERIVM MORTIS
in Genus Humanum
VNIVERSALE,
ipsa solenni Exequiarum die
FEMINÆ
*Nob. ac Virtutum omnium Elegantia
exultissimæ*

EUPHROSY- NÆ BRAU- ERIA, Nat. LVTCKIÆ.

Præmatura quidem nimis, beata tamen morte,
post exantatos summos, eosque intensissimos
partus dolores

die VI. Martii ANNO MDCCXVIII.

*circa X. vespertinam rebus terrenis ereptæ,
subsequentique XI. mensis ejusdem ritu Christiano
in Æde B. Virginis Mariae tumulo illatæ,
Musa non saltim inulta, sed & prolixiori paullo,
quam par erat, decantatum.*

Interprete


HENRICO REICHELIO.

Cliente humillimo.



THORUNII,
Impressit Joh. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus,

11



Ripe, Musa, tuum mea barbiton, atque doloris
Chordas intendens tristia fata cane.
Tristia, dico tibi, quia nil nisi tristia præsens
Inter tot luctus postulat hæcce dies.
Et simul alterius personam, heus! induc tristem,
Actristes mores, tristia verba dato.
Tristibus ast etiam seria immiscere memento,
Ut seria ac tristis tu videare simul.

Ad tempus muta vultum, ne forte cuidam
Nota sies: pares? pareo prompta Tibi.
Et citra multas ambages jussa sequendo
Personam, ceu fas, induo Mortis atræ.
Quæque mihi forsitan possent obstat, repono,
Rumpo moras omnes, incipioque loqui.
Huc! hue! Mortales, a me qui nomen habetis
Flebile, vos omnes ite, venite, voco!
Huc! huc! se nemo seriis subducere forsitan
Audeat his jussis imperioque meo.
Huc! huc! hem triplico, vos verba minantia vere
Auribus attentis percipitote mea.
Quæ, funesta licet, stricte tamen illa teneri
A Vestrum quovis, stante valore, volo.
Δις καὶ τρεῖς (quamvis καλὸν haut videatur id ipsum,)
Alta clamavi voce, secuta forum.
Quæritis, a quonam sonus hic horrore tremendo
Permititus veniat, tantaque jussa fluant?
Quale sit aut ipsi nomen, quo noscitur, aut quod
Munus in histeris officiumque gerat?

En

En brevibus: dico *Mors*, sed *Mavorte* cruento
Asperior longe, hoc aspera fata probant.
Sum nihil, ac aliquid, sed qua ratione nihil quid
Esse queat, vosmet sat cruciate diu.
Pallida *Mors* dico, quæ sceptraligonibus æquat;
Quæ cito tam clayam, quam diadema rapit.
Horrida *Mors* dico, quæ Regum turribus æque
Atque casis luteis pauperibusque venit.
Et quod adhuc magis est, *Mors implacabilis*, ecce
Non sine judicio nec ratione vocor.
Sanos, ægrotos, fortes, juvenesque senesque,
Castos, incestos ad mea regna traho.
Pulchros, deformes, justosque, piosque, malosque,
Cum Dominis servos ad mea jura voco.
Nemo me major, nemo me fortior unquam,
Rideo Milones, Herculeasque manus.
Cum Grege Pastores rapio, cum Consule Cives,
Occido Reges, innumerosque Duces.
Qui trucidant alios misere ferroque manuque,
Hosce, viden'? trucido: par referoque pari.
Occumbit Judex: mirare & oecumbit & Actor,
Insens cum misero sonite sepulchra petit.
Mites, immites pereunt, segnesque rudesque,
Cernis & Artifices arte perire mea.
Vos Mercatores, quotquot commercia multa
Hic exercetis, vosque migrare volo.
Ponite turbatæ mentis, mox ponite, curas,
Ponite, nam nil vos cura molesta juvat.
Tutus es haut a me Sapiens, haut Rustice stulte,
Infelix frustra me, Parasite, rogas.
Morosophos omnes, Philodoxos occupo cunctos,
Nil nisi de Magnis parva favilla manet.
Dignis, indignis venio, cautisque vafrisque,
Docte, tibi venio, seu neque docte tibi.
Discipulis nullis, nec Præceptoribus ullis
Parco, nam cunctos Lex mea certa capit.
Patres & Matres, Natos Natasque sūaves,
Hora (res clara est,) adveniente, neco.
Virgineas (fateor,) choreas per rumpere sepe
Vah! dolco, verum vanus & iste dolor.

Jungo

Jungo probis reprobos, & parvis misco magnos,
Sub simili titulo Femina Virque cadunt.
Nil juvat Icaris inflata Scientia pennis,
Subtilisque Σοφῶν Ars male-cauta nihil,
Nil etiam quicquid Rationis garriat Hulda,
Nil quicquid Socrates, aut Diagirita bonus.
Dædaleas operas, vanæ crepundia mentis
Excludo, temno, rejicioque procul.
Technæ sat miseri vah! mendacisque Sinonis
Fallere me nunquam meque movere queunt,
Addo: meæ Legi cuncti patere tenentur,
Sit dives Croesus, sit licet Irus inops.
Theologi pietas hic exulat, en, moriendum
Est homini semel, hæc claulula firma manet,
Callida me Replicis Jurisprudentia multis
Fascinat haut Duplicis aut Triplicisque suis.
Scitas & medicas, queis morbos pellitis, artes
Nil curo, Machaon, nilque Galene, tuas.
Amphitryoniadæ clavam extorquere laboras,
Fulmina vel summo, quæ tenet, ipsa Jovi,
Qui nostras tentat vires superare, profecto
Fallitur, & fallit seque animumque suum.
Nemo etenim natus venit hunc mansurus in orbem,
Denique sed veluti ventus & umbra fugit.
Signis luxuriet Generosi Stemmati ergo,
Illiū & Luxum Stemmaque vello brevi.
Horrendum dictu: securis impero dira
Æternæ mortis Mors ego dicta loca.
Nullus in hoc toto reperitur, credite, mundo,
Juribus exemptus, qui queat esse meis.
Quotquot ab Adamo primo traxere Parente
Et genus & ortum, tempore cogo mori.
Non sum ΔωρόΦαγος, qui grandia munera poscam,
Dum sitis haut urget me, neque dira famas.
Surdior, hem! surdo, cæcosum cæcior, ergo
Aure oculoque cærens audio nec video.
Quapropter multis & inexorabilis omnes
Hos ob defectus Mors ego rite vocor.
Sed quo prolabor? quo sensibus abstrahor istiss?
Instigatoris jamne subibo vices?

Sub-

Submoneor potius sermonis rumpere filum,
Dum series crevit, non nego, nostra nimis.
Et, quæ forte mihi restant dicenda, decente
Dicere cum venia, nî gravis esse velim.
Hinc monitis parentis (pietas jubet,) ex quo rursus
Personam Mortis, jam subitura meam.
Nectoque, qua possum brevitate, sequentia saltim,
Vos aurem promptam, vos facilemque date,
Hæc, o Mortales! hæc dura citatio Mortis,
Quæ verbis flecti, quæ ratione nequit.
O inamœna nimis! sed & o penetrabilis echo!
Quæ penetras mentes, corda animosque pios.
At, quid dico pios animos? quia svavis eisdem
Echo sat nota est, Mors quoque nota satis.
Hi nam dum cunctis moriuntur saepe diebus,
Ats moriendi illis non nisi lusus erit,
Quisquis enim moritur prius, ac moritur, minime ille,
Dum moritur, moritur, sed moriens oritur.
Hinc reprobis potius solet hic sonus esse perosus
Mentibus, ac echo commemorata ferox.
Nam quoniam vivi renuerunt noscere Mortem,
Mors illis, vita deficiente, gravis.
Maxima dum pavido transactæ crimina vitæ
Cordi obversantur, mens animisque tremit.
Cum Judex, Aitor, cum Testis cor sit iniquum,
Mancipat ac hæc ob se mala tanta stygi.
Cumque nos accusat reprobi mens conscientia facti,
Quam delictorum grande gravavit onus.
Ingens tunc etenim solet esse potentia Cæci,
Qui vario varius nomine reque natus.
Qui leo, cribrator, mirus venator & auceps,
Qui serpens, latro, milvus edaxque lupus.
Et qui centuplices moribundis objicit artes.
Quis capiat, rapiat, decipiatque suos.
Dum vel mille potest, cum vult, adsciscere rerum
Morphas ac species hic veterator atrox.
Væ! tunc qui spernunt solatia sancta JEHOVÆ,
Aut quoque sunt diffundi ab ore lupi.
Qui nudi nudo beliali principi averni
Parent, ac secum damna nefanda vehunt.

Væ!

Væ ! quinon salva Messiae semper adhærent
Vi fidei, vel qui tunc dubitare volunt.
Quique tot ex sacris nequeunt firmare gravatum
Mellifluis dictis corque animamque suam.
Sæpius æthereæ tunc rumpitur anchora mentis,
Naufragiumque animæ sic facit æger homo.
O inamoena nimis, (repeto,) & pœnitrabilis echo!
O nimium tristis voxque sonusque malis !
Aures quæ lepidis assveras non nisi rebus
Percellis, turbas attonitasque facis.
Hinc melius vobis consultum forte suislet,
Si didicissetis tempore rite mori.
Nam sic experti, quod MORS sit nil aliud, quam
Multis Ostiolum, Relligiosa Salus.
Hæc animo volvens Demortua tempore quovis
Colloquium statuit Mortis inire pium.
Gnara sat, hunc quem quis sibi notum tempore reddit,
Non opus, ut posthac sic timuisse velit.
Auribus Illius Mortis vox horrida per se
Ut cantus sonuit, vel quoque dulce melos.
Dum sibi sideria post fata supra Coronae
Spondebat laudem perpetuumque decus.
Paullo post niveis Fidei Pietatis & alis
Liber ex hoc mundi carcere ad astra volans.
Ergo, quid mirum ? quod ceu modulamina blanda
Inter gavisa est carpere Mortis iter.
Carpit, sed vivit post hæc sua funera Vitam
Cœlestem, digna & quam pia secla canant.
Dignaque quam gratis celebrent jam mentibus omnes,
Quò laus Illius, quò penetrabit honos.
Dum felix illuc, voluit quò, venit, & atram
Nil curat Mortem vivida in arce poli.
Interea mea verba volunt, Te, Care Patronæ,
TE, qui parte Tui nunc meliore cares.
Non ut tentarem solamine scilicet ullo
Erigere, aut vulnus vah ! refricare Tuum;
Persvalus, sancto quod motu Flaminis almæ
Solati plenum corque animusque siet,
Munere sed solito quo fungerer, atque dolorem.
Si non ex toto, ex parte levare queam,

Ante

Ante oculosthalami Sociam caramque Maritam
Imperio Mortis succubuisse vides.
Hinc minime mirum, gemitus quod pectore ducens
Imo, nunc lacrymæ fluminis instar eant.
Ast Illam rursus gaudens aliquando videbis
Sedibus in celsi lætitiaque poli.
Ergo jam dictis saltim hæc adjungere, quæso,
Sit licitum nota pro bonitate tua.
Hæcce loca aucupii mere viscosa religit,
Illecebris mundi sollicitata mali.
Ac mutavit iis, quæ sunt mansura, nec unquam
Interitura dein, Codice teste sacro.
CHRISTUS in hacce via *Via vera & Dux* fuit illi,
In Vita æterna *Vita Salusque* manet.
[O hilaris! felix! o sancta catastrophe! sanctæ
In te quæ tantum prosperitatis habes.]
Post Mortem Vitam, post tot discrimina tandem
Gaudia nequam post peritura tenet.
Post exantatos tot acerba sorte dolores,
Ecce, parata diu regna beata capit.
Post duras curas, hujus post Mortis & umbras
Nunc Patriam cernit Luminis atque PATREM,
Illius in corde hic IESV tam dulcis imago
Fusit, ibi IESV corde coruscat amor.
Inter cœlicolas longum modo transfigit ævum,
Æthereique tenet nunc πολύτευμα throni.
Ac oculis temper sanctisque plisque tuetur
Hunc, Cujus λύτρον non leve pondus habet.
Miraque in excelsis Illi dat munera laudum,
Ter SANCTVS! SANCTVS! SANCTVS IOVAH! canens,
Non nisi læta pio cordi adsunt, tristia desunt,
Hem! scitis, quid agat Mortua nostra modo?
Pluribus id vellem, si possem, exponere verbis,
Ast ἀργεντα quia hæc, ergo tacebo -- --
Barbiton & tristi functum sat carmine rursus
Appendo, chordas (pausa!) relaxo meas.

•(O)•
EPITA-

EPITAPHIVM.

Nata fui Morti: donum mihi vita caduca
In vita saltim per breve, crede, fuit.
Mortua sed Vitæ, vanam nunc rideo Mortem,
Qua victa melior nunc mihi Vita datur.
Vires elusi Mortis, minime quia vi-res,
Sed vanus veris flosculus, umbra, nihil.
Flosculus idcirco, quia langvent: Umbra sed, umbrae
Dum fugiunt instar: Nil, quia reque nihil.
MORS Mortis mortem miranda morte momordit,
(Mordens, dic, rogo, nunc Mors, ubi morsus erit?)
Et, posita vita, vitæ mihi VITA SALVSque
Æternam vitam, quæ sine fine dedit.
Mortua: sed vivo: dices: cui? mortua tetro
Sum mundo: vivo vivo sed usque DEO.
In terris vitæ potior Mors, vita sed illa
In cœlis potior (gaudeo,) Morte manet.
Scin' miseram vitam? (magis hinc de jure vocandam
Mortem,) prolixus non ero, dico tribus:
Flevi, delevi, sprevi: mores, mala, mundum:
Qui? lacrymis, CHRISTI sanguine, corde pio.
Quisquis eris, Mortem terrenam temne, Viator,
Sed vitæ æternam terribilemque nimis.
Sic Vita mecum cœli constante frueris,
Quam tibi, quamque piis omnibus opto: Vale!



ML 2747